



**Eryci[i] Pvteani Pietatis Thavmata In Bernardi Bavhvsii[i]
è Societate Iesv Protevm Parthenivm**

Puteanus, Erycius

Antverpiæ, 1617

O. Inutilia ingeniorum tormenta seriò reiecta: sed ab his Proteum eximi, & alienum esse. Bauhusianæ usæ indoles: etiam in versu hoc Parthenio; versu pio, & sic vtili; cælesti, & sic pulchro.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-70659](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-70659)

IN PROTEVM PARTHENIVM. 95
re. Sed esto: paucæ formæ innumeræ sint. Ver-
sum vnum in sexaginta quatuor commutari, mi-
rum puto: maximè, ter maximè mirum, in mil-
le viginti duas. Hic numerus stellarum est, & il-
lum minorem decies sexies circiter continet: quo
annorum termino adolescentiam Varro defini-
uit. Maior erat SCALIGER, si tam grandæuum
nobis Proteum dedisset: BAVHVSIVS, quàm fe-
lix, tam modestus; etiam hunc suum negligere
voluit. Optimum Versum, sed meliorem Vir-
gini animum obtulit, Pietate modestus, Modestiâ
pius. Quid mirum? Virgo, quæ laudatur, mo-
desta est; & quæ laudatur, pia est; imò ipsa Mo-
destia, ac Pietas.

T H A V M A O.

*Inutilia ingeniorum tormenta serio reiecta: sed ab his
Proteum eximi, & alienum esse. Bauhusiana
Musa indoles: etiam in versu hoc Parthenio;
versu pio, & sic utili; caelesti, & sic pulchro.*

QVI solidum desperant carmen, ad tormenta
ingenij confugiunt. Tanti Poëtæ nomen:
laudem in labore, sed inglorio & inutili, ponunt.
Proci Penelopes! ancillari amorem patiuntur:
amorem, non voluptatis, sed famæ. Hinc Acro-
stichia, Palindroma, Sotadea, Diaula, Isopsepha,
& quidquid ingeniis corrumpendis natum. Quia
semel

semel hæc audacia feliciter Optatiano cesserat, plerique deinceps violarunt carminis maiestatem. Libros apinis tricisque, imò Parnassum monstris impleuerunt. Te verò, ô meus Pater, ô verum Apollinis germen, quis affectus ad Proteum deduxit? Quis? vnus Pietatis. Vt Virginem laudares, vt pius esses, hoc egisti, quod multi; sed felix & ingeniosus præ multis. Imò hoc egisti, quod nemo: dedisti Proteum, qui mille & ampliùs ora gereret: dedisti versum, qui si Prôteus non esset, omnium cruces & tormenta vinceret. Quorsum verò in hoc mustaceo laureolam quærere? Famæ auram si captares, sanè ad nouum & inauditum carminis miraculum transire opus non erat. Tibi Epigrammata scripta & edita, quibus hoc æuum (æui suffragio dicam) superas; antiquitatem possis prouocare. Quis eruditionem, & nitorem iunxit? facilitatem, & acumen? linguæ, & mentis gazam? Alij verba habent, sensu deficiunt: alij sensum, & verbis inuoluunt. Paucos etiam argumenti dignitas euehit. Ingenij aculeos videas, sed Veneri ac Cupidini consecratos. Quis subtilis, & simul pius fuit? ingeniosus, & castus? Quis venustatem in Virgine, Amorem in Christo æstimauit? Itaque multorum obscœni, & sic perituri versus sunt: tui pudici, & sic æterni; tui puri, & sic pulchri. Pro-
fiteris

fteris ipse, Musæque castæ Genium exprimis:

Nil nisi Virgineum, Lector, mea Musa propinat:

Nam Cyprij lasciva tela caculi

Non hinc ulla sonant; non hinc quafranat olores

Patis ocellis ludit, aut ludit iocis.

Ludimus; ingenui verum intra claustra pudoris:

Excedere hæc, non ludere est, sed ledere.

Quid? cælum loquuntur: in cælo videntur nati.

Omnia in cælo pulchra sunt; & in terris foeda, turpia, deformia omnia, si cum cælo comparentur.

Huc ascendit Proteus iste: cælestis est, sidera repræsentat: Parthenius est, Virginem laudat.

An dicam? Auctorem ipsum Cælestem esse, ac Parthenium ostendit. Cælestis autem ille ac Parthenius quo sit ingenio, quæris?

Vnum versum mauult, quàm mille Proteos dare, si Protei tantum & profani sunt: qui Proteum mauult, si mille & ampliùs versibus Virginem extollat.

T H A V M A II.

Ipsè Protei Auctòr, Proteus: Aegyptium, Saltatorem fuisse. Auctòris laudes in Virginem redundare. Εὐσεβεία: præter hanc vana omnia esse.

CAELESTEM esse dixi ac Parthenium, qui Proteum composuit: nunc ipsum adèd esse Proteum, esse *ἑρμῆδον*. Fabularum desinat nugis adhuc depicta eruditio: nullum habuit Aegy-

N ptus